



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XI. Erzbischof Erich von Magdeburg schenkt der Stadt Burg den Platz des Kaufhauses am neuen Markte zur Errichtung eines andern Gebäudes, am 6. Februar 1289.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

X. Ablassbrief mehrerer auswärtiger Kirchenfürsten für ein Hospital zu Burg,
vom 24. Juli 1288.

Uniuersis sancte matris ecclesie filijs, ad quos presentes littere peruenerint, Theoclistus miseratione diuina adrianopolensis, Bonauentura Ragufanus et Johanniicus capado- cie archiepiscopi, Perronius Larinensis, Guillelmus callensis, franciscus terra- cinenensis, Petrus stanensis, Waldebrunnus auellonenensis et Bartholomeus episcopi Salutem in domino. Gerentes in intimis nostre caritatis uisceribus uniuersos cultores fidei cristiane, illos debemus quodammodo liberalius pietatis gratia uisitare pre ceteris, quos paupertatis simul et infirmitatis onere suppressos nouimus seseque nequeunt releuare. Cum igitur dilecti in christo Prouisores Hospitalis in Borch Brandeburgensis diocesis ad hoc totis uiribus prout accepimus elaborent, ut undique confluentium egenorum pariter et egrotorum suffragari necessitatibus se exponant et non solum ipsos ad hospicia recipiant, uerum etiam ad restaurationem pristinae hospita- tatis uel ad uniuerse carnis migrationem trahentes omnia necessaria sibi laudabiliter administrent peregrinis quoque — poscentibus secundum ipsorum indigentium personarum dignitatem, sicut etiam predictis procuratoribus expedire cernitur, honorifice prouideant, Cumque ad hec sibi proprie non suppetant facultates, uniuersitatem uestram rogamus, quatinus ut cooperatores operum pietatis uestras elemosinas ad continuandum huiusmodi caritatum ministerium hylariter erogetis, ut per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterna possitis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad idem Hospitale pro sustentatione pauperum uel ad capellam sibi annexam manus adutrices porrexerint aut in festis Natiuitatis christi, Resurrectionis etc. — causa deuotionis accesserint, singulis singulas quadraginta dierum indulgentias de iniunctis eis penitentijs dum- modo loci Dioecesanus consenserit, Misericorditer in domino relaxamus etc.

Datum Rome, anno etc. M. CCLXXXVIII^o. IX. Kal. Augusti, Pont. domini Nicolai pape III anno primo.

Nach dem Originale des Stabiarchives in Burg Nr. 123.

XI. Erzbischof Erich von Magdeburg schenkt der Stadt Burg den Platz des Kaufhauses
am neuen Markte zur Errichtung eines andern Gebäudes, am 6. Februar 1289.

Ericus, dei gratia sancte Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopus uniuersis christi fidelibus prebens scriptum uisuris salutem in domino sempiternam. Obluioni locus subtrahitur et labili memorie utili subuentione succurritur, quando res inter mortales acte litterarum testimonio conscribuntur. Inde est quod notum esse cupimus uniuersis has litteras inspecturis, quod ob fauorem specialem, quo ciues nostros de Burch prosequimur, aream quandam in nouo foro burch sitam, in qua quondam constructa fuit domus, que kophus vulgariter dicitur, ad aliam domum in eadem area construendam pro comodo et utilitate eiusdem ciuitatis damus, tradimus et donamus

predictis nostris ciuibus proprietatis titulo perpetuo possidendam, Renunciantes omni iuri et censui, que in predicta area dinoscimur habuisse. Ut autem nostra donacio rata et inconuulsa perhenniter perfeueret, prefens scriptum inde confectum sigilli nostri munimine fecimus communiri. Testes huius rei sunt Burchardus de Blankenburch prepositus sancte wiperti in Nienborch, Otto de Brezna nostre Ecclesie canonicus, Johannes de Brunfwie canonicus ecclesie sancti Nicolai in Magdeburg, clerici, Heydeko de Nigrip, Hildebrandus de ouesuelt, Conradus de beliz, Conradus Imuk, Otrauen, milites nostri et quamplures alij fide digni. Datum Magdeburg, anno domini M^o. CC^o. LXXXIX^o, VIII^o. Idus Februarij.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 111.

XII. Erzbischof Burchard von Magdeburg ertheilt der Stadt Burg gegen 200 Mark zur Auslösung von Blathow das Privilegium, daß Adliche und Geisliche, die in der Stadt wohnen, das Bürgerrecht erwerben müssen, am 18. Juli 1301.

In nomine domini Amen. Borchardus, dei gracia sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus, Omnibus in perpetuum. Quoniam fragilis est hominum memoria et temporis status instabilis circa temporalia, propter quod ad maiorem firmitatem in negotiis et tractatibus rite gestis ad securum scripture recurrimus testimonium ut est moris; Inde est quod notum esse volumus vniuersis tam presentis temporis quam futuri, Quod nos de vnamini consensu omnium et singulorum tocius nostri Capituli, ciuibus nostris in Borch hanc gratiam et libertatem concessimus et concedimus per presentes, Quod quicumque siue miles siue femina, siue clericus siue famulus, in ciuitate nostra Borch manere seu mansionem facere uoluerit, eo ipso ciuis ibidem effici et fieri debet et debeat, ita videlicet, Quod in eadem ciuitate sedere et se tenere debet et debeat ad iura predictae ciuitatis Borch, que si quidem iura Stadrecht vulgariter nuncupantur, volentes nichilominus quod predicta ciuitas Borch et ciues ibidem gaudeant et fruantur illis et eisdem iuribus et libertatibus, quibus a prima fundacione eiusdem ciuitatis ijdem ciues freti sunt hactenus et gauisi. Pro hac siquidem gratia libertatis dictis ciuibus a nobis concessa ijdem ciues Ducentas Marcas stendaligenis argenti nobis dederunt ad redemptionem castri nostri Plote tam liberaliter quam gratanter. In cuius rei testimonium nostrum nostrique Capituli sigilla presentibus sunt appensa. Testes sunt Ropertus de Mansuelt nostre ecclesie Camerarius, Geuehardus de Lindowe, Borchardus de Serapelo, Henricus de Grunenberch, nostre ecclesie canonici, Rychardus Dapifer et Heyno de Alsleue, Hermannus de Wederden dictus de Warmpftorp, Henningus de Bardeleue, Thilo Marfcalcus, Johannes de Louborch, Heyno de Rodense, milites nostri ac plures alij fide digni. Actum et Datum Magdeborch, Anno domini Millesimo Trecentesimo primo, Quinto decimo Kalendarum Augusti.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 1.